

1505, julio, 12. Roma.

Bula prima institutionis dicti Collegii. Cum praeerrogativis, et libertatibus, & cum anexione aliquorum praestimoniorum.

Pergamino, 89 x 62 cm

AHUS Legajo 608-13

Transcripción del documento:

IULIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quoniam per literarum studia Christi fideles bonis moribus virtutisque ornantur, quodam rore caelico respersi sapientiae et intellectus spiritum nasciscuntur et praestant postmodum cunctis opem sanioris consilii, dignum extimamus nos votis illis benigne, charitative et opportuna subventionis auxilia ^{/2} impendere [...] Christi fideles [...]. Dudum siquidem omnia praestimonia, praestimoniales portiones ac simplicia caeteraque beneficia ecclesiastica apud Sedem Apostolicam tunc vacantia et in antea vaccatura collationi ac dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex ^{/3} tunc irritum et inane si secus super his a quoque quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Cum itaque postmodum unum seu una pontificale nuncupatum de Alocace et Gomez Cardeña, ac aliud seu alia in eisdem necnon reliquum seu reliquia in Sancti Laurentii Hispalis, ^{/4} ac aliud seu alia pontificalis [...] Sancti Nicolai del Puerto de [...] in eisdem Sancti Nicolai, necnon reliquum seu reliquia in de la Parra, locorum Ecclesiis Hispalensis et Pacensis diócesis praestimonia seu praestimoniales portiones aut simplicia beneficia, per liberam resignationem dilecti filii ^{/5} magistri Roderici de Sanctaella, archidiaconi de Reina in Ecclesia Hispalensi, notarii nostri de illis, quae tunc obtinebat per dilectum filium Ioannem de Carmona, clericum hispalensem, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte factum et per nos admissam, apud sedem ^{/6} praedictam vaccaverint et vaccent ad praesens, nullusque de illis praeter nos hac vice disponere potuerit, [...], reservatione et secreto obsistentibus supradictis. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Roderici petitio continebat in civitate Hispalensi, quae inter alias civitates regnorum Hispaniarum ^{/7} maior et notabilis, et illius Ecclesia predicta inter alias cathedrales ecclesias dictorum regnorum insignis Metropolitana, in qua notabiles personae in numero copioso, dignitates, personatus, administrationes et officia, canonicatus et prebendas ac portiones aliaqua beneficia ecclesiastica inibi obtinentes ^{/8} ac pueri choriales in arte Musicae [...] existunt, nullum Studium Generale seu Collegium Scholarium hactenus fuit, et propterea tam praedicti quam alii pauperes scholares et clerici dictae civitatis et diocesis Hispalensis studere volentes ad diversas [...] praedictorum et aliorum extraneorum regnorum, ^{/9} in quibus Studium Generale viget, ab eadem Hispalensi civitate per ducenta et triginta millaria ad minus distantes, et in modo vivendi multum diferentes non sine personarum et rerum suarum maximo incommodo et detrimento se conferre coguntur, evenitque ut dicti pueri postquam ad provectam ^{/10} aetatem perveniunt, a sacrorum ordinum promotione tanquam penitus illiterati et ignari repellantur et minus idonei reputentur, et propter huiusmodi repulsionem tanquam desperati aliter facere non valentes ad prophana et saecularia officia et exercitia se convertant; uerum si in dicta civitate Hispalensi ^{/11} una domus seu Collegium Scholarium pro uno Rectore et duodecim vel pluribus scholaribus, ac uno vel plures doctoribus seu magistris; qui eos in quacumque Facultate instruere deberent, construeretur et aedificaretur seu certa domus seu Collegium per praefatum Rodericum ad huiusmodi usum ^{/12} fabricari, construi et aedificari incepta ad totalem perfectionem

reduceretur, illique pro Rectoris, scholarium, magistrorum, doctorum, servitorum et aliarum personarum in eo pro tempore existentium, ac duorum vel plurium capellanorum sustentatione, praestimonia seu praestimoniales portiones aut simplicia bene-^{/13} ficia huiusmodi perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, profecto Rector, scholares, doctores, magistri, servitores et aliae personae in eodem Collegio construendo huiusmodi commodius se sustentare valerent.

Pro parte dicti Roderici asserentis fructus, redditus et proventus praestimoniorum seu ^{/14} praestimonialium portionum aut beneficiarum huiusmodi centum et quinquaginta ducatorum auri de camera, secundum communem estimationem valorem annum non excedere, seque tam in constructione domus Collegii huiusmodi, quam pro illis dote usque ad summam duorum millium et quingentorum ^{/15} ducatorum auri similium vel circa de suis propriis bonis iam exposuisse, ac dotem huiusmodi pro Rectoris, scholarium, magistrorum, doctorum, capellanorum, servitorum et aliarum personarum sustentatione et manutentione huiusmodi non sufficere, nobis fuit humiliter supplicatum ut domum seu Collegium, in quo Rector ^{/16} et duodecim scholares vel plures, ac duo capellani vel plures, ac servitores esse, eique pro eius dote et eorum ac doctorum et magistrorum sustentatione et manutentione, praestimonia seu praestimoniales portiones aut beneficia huiusmodi perpetuo applicare et appropriare, aliaque in praemissis opportune providere ^{/17} de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur qui dudum inter alias volumus quod in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interesset, quodcumque omnium bonarum artium disciplinam, et earum Collegia ac Studia nostris potissime temporibus ubique vigere et augeri supraemis desideramus affectibus, ^{/18} praefatum Rodericum a quibusvis sententiis, censuris, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes ^{/19} et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in dicta civitate Hispalensi unam domum seu Collegium per eundem Rodericum a fundamentis incipiam sed non[...] finitam, in Collegium scholarium pro uno Rectore et duodecim vel pluribus scholaribus et magistris et doctoribus, ^{/20} nec non ad unum altare capella nuncupatum sub invocatione Beatae Mariae de IESV constructum et edificatum duas vel plures perpetuas capellanas pro duobus vel pluribus perpetuis capellanis praesbiteris ad nutum Rectoris et scholarum huiusmodi amovilibus qui inibi missas et alia divina officia ^{/21} celebrare, ac ipsorum scholarium et aliarum personarum in dicto Collegio existentium confessiones audire et illis Eucaristiae et alia sacramenta ecclesiastica sine alicuius praeiudicio, etiam tempore interdicti, ordinaria auctoritate appositi ministrare possint, dummodo ipsi causam non dederint huiusmodi interdicto et hoc ^{/22} non contingat eis specialiter interdicti, auctoritate apostolica tenore praesentium ereximus et instituimus. Ac illi pro eius dote et Rectoris, scholarium, magistrorum, doctorum et capellanorum et aliarum personarum eiusdem Collegii necessitatum subventionem, et illorum sustentationem et manutentionem dotem per ^{/23} praefatum Rodericum iam assignatam, nec non praestimonia seu praestimoniales portiones aut beneficia eiusmodi sive promisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque personae, seu per similem dicti Roderici vel cuiuscumque alterius resignationem de illis in Romana Curia vel extra eam, etiam coram no-^{/24} tario publico et testibus, sponte facta, vaccent, etiamsi tanto tempore vacaverint quod eorum vel earum collatio, iuxta Lateranensis statuta Concilii, ad sedem praefatam legitime devoluta et praestimonia seu praestimoniales portiones aut beneficia huiusmodi dispositioni apostolicae specialiter, vel alias etiam ex eo, quod dictus ^{/25} Rodericus illis vel illa obtinens notarius noster existit aut praefertur et, ut a nonnullis asseritur, fructuum et proventuum Camerae Apostolicae debitorum in partibus illis

collector seu unicus subcollector fuit, generaliter servata existant et super eis inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus /²⁶ pro expresso, pendeat indecissa dummodo eorum vel earum dispositio ad nos hac vice pertineat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eisdem autoritate et tenore unimus, annectimus et incorporamus, ita quod liceat ex nunc dicto Roderico, nomine Collegii, et deinde Rectori et scholaribus pro /²⁷ tempore exestentibus, per se vel per alium seu alios, corporalem praestimonionim seu praestimonialium portionum aut beneficiorum, iuriumque et pertinenciarium praedictorum propria autoritate libere appraehendere et perpetuo retinere illorumque fructus, redditus et proventus in Rectoris, scholarium, doctorum, magistrorum, /²⁸ capellanorum, servitorum et aliarum personarum huiusmodi sustentationem convertere, dioecessani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, praefatum Rodericum, quoad vixerit, et post ipsius Roderici obitum personam seu personas per eum nominandam seu nominandas Collegii et [...] /²⁹ huiusmodi administratorem et [...] deputamus.

Ac sibi quacumque statuta et ordinationes sacris canonibus non contraria pro Collegii Rectoris, scholarium, magistrorum, doctorum, capellanarum et aliarum personarum huiusmodi faelici directione condendi et ordinandi facultatem concedimus. Quae /³⁰ postquam condita fuerint, autoritate apostolica confirmata esse censeantur eo ipso. Praeterea Collegium, rectorem, scholares, magistros, doctores, capellanos, servitores et alias personas in eodem Collegio cursantes, audientes et legentes ab Archiepiscopi Hispalensis pro tempore existentis /³¹ iurisdictione, dominio, potestate et illius vicariis et officialibus totaliter eximimus, ita quod ordinarius, vicarii, officiales aliquam in Collegium, rectorem, scholares, doctores, magistros, capellanos, servitores et alias personas huiusmodi, res, bona, etiam ratione delicti, contractus /³² vel rei super qua agatur, ubicunque committitur delictum, iniatur contractos aut res ipsa consistat, aliquam iurisdictionem exercere aut superioritatem et autoritatem habere non possint decernimus. Quodque Collegium Rector, scholares, magistri, doctores, capellani et aliae personae in illo /³³ pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis, praerrogativis, indultis, facultatibus, exemptionibus, inmunitatibus et gratiis generalibus vel speciliabus aliis Collegiis Studiorum Generalium dictorum regnorum in genere concessis, et quibus ibi legentes, degentes, audientes /³⁴ ac conmorantes utuntur [...] et gaudent, uti, potiri et gaudere, ita quod in eodem Collegio studentes et audientes tantum in Artibus, Logica, Philosophia et Theologia, lure Canonico et Civili Bacchalaribus licentiae doctoratus et magisterii gradus respective ad instar aliorum /³⁵ Studiorum Generalium dictorum regnorum, postquam cursos suos fecerint, suscipere libere et licite possint et valeant eadem autoritate statuimus et ordinamus. Ac sibi desuper concedimus et [...], non obstantibus voluntate nostra praedicta ac felicis [...] Innocentii VIII, praedecessoris /³⁶ nostri contra exemptos edita que incipit: "Volentes", ac Bonifacii VIII, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus Ecclesiarum Hispalensis et Pacensis, quibus inter alia caven dicitur quod nullius prestimonia seu prestimoniales portiones /³⁷ aut simplicia beneficia huiusmodi obtinere possit nisi ipsarum ecclesiarum canonicus Hispalensis acto praebendatus aut alias in illis perpetuos beneficiatus existat. Quibus etiam si iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis fuerint, quibus hac vice duntaxat illis alias in suo robore /³⁸ permansuris specialiter et expresse derogamos contrariis quibuscunque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de praestimoniis seu praestimonialibus portionibus, ac huiusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae sedis vel legatorum literas /³⁹ impetraverint,

etiamsi per eas ad inhibitionem, reformationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem literas et processus habitos per easdem et inde secuta quaecunque ad praestimonia seu praestimoniales portiones aut beneficia huiusmodi volumus non extendi, /⁴⁰ sed nullum per hoc eis quoad executionem praestimoniorum seu praestimonialium portionum simplicium vel beneficiorum aliorum praeiudicium generari. Et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quae presentibus /⁴¹ non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcunque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mensio specialis, proviso quod praestimonia seu praestimoniales portiones aut beneficia propter unionem, annexionem et /⁴² incorporationem huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis sed eorum congrue supportentur onera consueta, Nos enim prout est irritum decernimus et inane, si secus super his quodquam quavis autoritate scienter vel ingoranter attentatum forsam est hactenus, vel in posterum contigerit attentari.

/⁴³ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, unionis, annexionis incorporationis, deputationis, concessionis, exemptionis, statuti, ordinationis, indulti, derogationis, voluntatis et decreti infringere vel el casu temerario /⁴⁴ contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datis Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quinto, quarto Idus /⁴⁵ Pontificatus nostri anno secundo.